



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

Quæstio XXIX. In Tit. XXIX. De Officio, Et Potestae Judicis Delegati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

ipsum exercere, juxta Abbatem in c. *irrefragibili*, 13. de *Offic. Ordin. n. 2.* secus tamen esse *Jure novo* Trid. de quo *supra n. 2326.* potest autem Sede Vacante constituere etiam plures Vicarios, æquè principales, saltem ubi amplitudo diocesis id exigat, quantum est vi Juris communis, ut colligitur ex c. *unico de Cleric. agrotant.* ibi: *unum, vel duos*; & notat Quaranta *cit. n. 9.* quamvis ex Tridentino constitui debeat *tantum unus*, nisi aliud habeat consuetudo legitima. Est autem Vicarius Capituli constituendus non tantum Episcopo mortuo; sed etiam, si Episcopus in partibus remotis degat, ac ejus Vicarius decessit; item quando Sedes *quasi* vacat, quod contingit, cum Episcopus est in captivitate, ut dicitur c. *si Episcopus, de Supplend. neglig. Pralat.* Cæterum, quando eligitur Vicarius à Capitulo, non est de necessitate, ut servetur electionis forma, jure communi præscripta in c. *quia propter, de elect. de quo supr.* Nam tales Vicarij sunt solum temporales, ut notat Garcia de *Beneficijs p. 2. c. 7. n. 22.*

Not. 3. quamvis Vicarius Capituli possit ea, quoad Jurisdictionem, quæ potest Episcopus (nisi vel à Pontifice, vel à Capitulo in aliquibus restringatur) consequenter possit excommunicare, interdicere, suspendere (nam Jurisdictio Episcopalis eo casu quoad exercitium ad eum spectat, ut

dicitur cit. c. *unic.* & notat. (Suárez de *Censur. D. 7. S. 3. n. 10.*) id tamen non procedere, ut ipsum etiam Capitulum valeat excommunicare &c. sic enim & ipse excommunicatus foret, cum ejus potestas sit dependens ab illo; & ratio est ex *num. 2325.* causas tamen, Vicario Episcopi delegatas, non potest cognoscere; quia non succedit Episcopo, vel ejus Vicario in Jurisdictione *delegata*, sicut nec ipsum Capitulum; sed tantum, in *Ordinaria*, Jure Ordinario competente.

Not. 4. quod Vicarius à Capitulo Sede vacante constitutus, & confirmatus etiam ad certum tempus, ante illius lapsum ex causa rationabili revocari possit, ut notat Joannes Andreas in c. *penult. h. t. in 6. n. 15. arg. c. fin. de Precar. l. Judicium 58. ff. de Judic. Dixi ex causa rationabili*; quia, si merè pro libitu revocari possit, multum obest rectæ administrationi Justitiæ inter particulares Canonicos, & alios ab ipsis dependentes, ut bene observat Quaranta *cit. n. 2. §. Tertiò dubitatur*: potestas demum Vicarij Capitularis expirat dato novo Episcopo; cum etiam expiret in Capitulo, quod intellige, ubi novus Episcopus confirmatus possessionem Episcopatus accepit; quia tunc Episcopalis Sedes non amplius vacat; & huic ab illo rationes gestæ administrationis exigere licet.

QUÆSTIO XXIX.

IN TIT. XXIX. DE OFFICIO, ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

Hactenus dictum est de Officio, & potestate personarum Ecclesiasticarum, respiciente tractationem divinarum, ac eorum, quæ sunt Jurisdictionis voluntariæ; nunc agendum est de illis Ministris, qui assumuntur ad ea, quæ sunt Jurisdictionis contentiosæ, quæ respicit actus Judiciales externos. Not. autem *potestatem & officium* in eo differre, quod potestas sit ipsa vis, & virtus, aliquid faciendi; exercitium autem ejus, seu actus secundus, nomine *Officij* significetur; de quo plura videri possunt apud Pereyram in *Elucidario n. 291. in fin. & n. 1305.* quibus positus.

ARTICULUS I.

Quid sit *Judex delegatus*?

Pro resolutione supponendum 1. quod verbum *Judex*, in tota sua latitudine, comprehendat omnes *jus dicentes*, cujuscunque dignitatis sint, ut Præsides, Proconsules, Rectores Provinciarum, & alios similes: dicitur enim (ut ait Sylvester V. *eodem*) quasi *jus dicens populo*, sive quod *jure disceptet*, id est, justè judicet. c. *forus, §. in omni, de Verb. signif.* Unde *Judex* est is, qui *Jure potest justum cuique decernere, & reddere.* Ut *Judicium* seruetur

U u u 3

mur multipliciter, Judex in genere est triplex, quamvis sub tribus speciebus, seu membris varios contineat. Nam Judex quidam est *Ordinarius*; quidam, *extraordinarius*.

2333. Supponendum 2. *Ordinarium* esse, qui potestate ordinaria præficitur à Principe alicui Collegio, vel Universitati, ad universitatem causarum; *extraordinarius* est, qui habens potestatem delegatam, non præficitur alicui Universitati, vel Collegio; & est duplex, alter habens Jurisdictionem, ex partium voluntate, & dicitur *arbitrarius*, alio nomine *compromissarius*; alter ex *commissione Superioris*, ut delegatus ad certam causam, vel subdelegatus, cui nempe delegatus potestatem subdelegavit.

2334. Supponendum 3. *Jurisdictionem* esse speciem potestatis, & apud Sylvestrum V. eodem, dici quasi Jurisdictionem, à Jure dicendo, & juxta Hervæum sic describi: *Jurisdictio est, qua præsidens alicui Reipublicæ, potest dicere jus, statuendo, sententiando, vel cum obligatione subditorum ad habendum id, quod dicitur, pro justo.* Brevius & clarius Azonus sic definit (*Jurisdictio est potestas, de publico introducta, cum necessitate Juris dicendi, vel æquitatis statuendæ.*

2335. Supponendum 4. Jurisdictionem in genere vel esse ordinariam, vel delegatam. *Ordinaria*, ut ex verbis Modestini, & Ulpiani colligitur, residere dicitur in illo, apud quem legis actio est, & potest defini *potestas publica, qua alicui ex proprio munere, vel officio competit.* Delegata est illa, *qua ex speciali alicujus Superioris mandato convenit.* Jurisdictio item alia voluntaria, alia contentiosa dicitur. *Voluntaria*, solum inter volentes locum habet, eaque explicantur emancipationes, manumissiones, & adoptiones, quæ Magistratibus autoritate, etiam extra territorium, & quocunque loco, rectè fiunt, l. 2. ff. de Offic. Procons. ex quo textu etiam desumitur, quid sit *contentiosa*: hæc enim est illa, quæ in invitos, aut præsentis, aut, si per contumaciam desint, etiam in absentes exercetur.

2336. Cum igitur *delegare*, in genere nihil aliud significet, quam alterum in locum suum substituere, sive vices suas alteri committere; sequitur, quod *Judex delegatus* (qui etiam vocatur *Commisarius*, &

Judex extraordinarius, c. de cetero, de Transact. V. *extraordinarium*, junct. gloss.) sit Judex, qui *Jurisdictionem habet contentiosam non jure suo, sed ab alio sibi mandata, eam alieno nomine exercens*; sic Desselius h. t. q. 1.

Ex hoc colliges 1. Judicem *delegatum* ex hoc differre ab *Ordinario*, quod hic *jure, & nomine suo* Jurisdictionem contentiosam exerceat, tanquam annexam muneri suo L. 5. ff. de Jurisdic. omn. Jud. junct. gloss. V. *suo jure.* Colliges 2. quod quis dupliciter habere possit Jurisdictionem, sibi mandatam ab alio; 1. à *jure*; & sic dicitur *delegatus à jure*; 2. *ab homine*, propriam, & Ordinariam Jurisdictionem habente, & sic differt ab arbitro, qui suam Jurisdictionem habet à partibus in eum compromittentibus, jure, seu lege id approbante, vel concedente. Colliges 3. Judicem *delegatum* Jurisdictionem exercere *nomine, & autoritate delegantis*, c. sanè h. t. quo differt ab eo, cui committitur nudum ministerium, seu executio sine causæ cognitione, & propriè vocantur *Auditores* seu *Executores*; Barbofa h. t. in Princip. n. 12. Colliges 4. eum, cui habens Jurisdictionem ordinariam, hanc committit immediatè, vocari *delegatum*; cui mediatè: vocari *subdelegatum*; ubi notandum, *Jurisdictionem delegati*, non esse eandem numero *cum Jurisdictione delegantis*, sed distinctam; cum in delegato non constituatur translatione illius à delegante, sed productione, non physica, sed morali; ex hoc differt à Jurisdictione Episcopalis Vicarij, qui cum Episcopo habet eandem Jurisdictionem, non distinctam. Et ideo à delegato appellari potest ad delegantem, L. 1. §. qui mandatam, ff. de Officio ejus, cui mandata est Jurisdictio; à subdelegato autem appellatur ad delegantem, quando non tota causa est illi commissa; Barb. cit. n. 7. non autem à Vicario Episcopi ad Episcopum, ut constat ex dictis.

ARTICULUS II.

Quotplex sit Judex delegatus?

EX dictis constat, alium esse delegatum à *Jure*; alium *ab homine*; ex his sunt alij, qui delegantur à Summo Pontifice;

tifice; alij, ab Imperatore, vel Rege; alij rursus sunt delegati ad universitatem causarum, quibus scilicet non una, vel altera particularis causa committitur, sed omnes vel universum, vel saltem in aliquo genere sub alterno, ut, *causa decimarum, matrimonij, mutui &c.* Nec obstat rationi Judicis delegati, quod constituatur cum restrictione, vel ad certum tempus, vel ad locum, v. g. in certo districtu, & territorio; vel etiam ad certam quantitatem v. g. quæ non excedunt valorem 50. aureorum; sic Bartol. in l. Legatus 11. ff. de Offic. Proconsul. n. 4. quibus autem committitur Jurisdictio solum ad quasdam causas particulares, vel etiam ad omnes, sed inter certas tantum personas v. g. inter Titium, & Cajum, ij non sunt delegati universales; ita Sanchez l. 3. matr. D. 31. num. 4.

339. Not. præterea, à nonnullis jurisdictionem sub dividi in delegatam in specie, & in jurisdictionem mandatam; illam esse volunt, cum alicui præter causæ cognitionem, etiam coercitio aliqua, seu simplex jurisdictione, absque ultimata, & perfecta potestate exequendi, committitur; istam verò, quando alicui integra jurisdictione, id est cum plena potestate, etiam exequendi sententiam, sive in una, sive in pluribus causis committitur; hanc distinctionem videntur desumere, ex L. 1. §. an autem. ff. de suspectis tutoribus, ibi: *mandata jurisdictione, officium ad eum totum jurisdictionem transijt, & c. super questionum, 27. §. porro, h. t.* sed licet verum sit, in dictis juribus nominatim distingui, an tota, vel non tota jurisdictio alteri concessa sit? Jurisperiti tamen communiter non ponunt differentiam inter jurisdictionem delegatam, & mandatam; nec contra illos rectè arguitur dicendo: quod à mandatarario non appelletur mandans, sed mandantis superior; à delegato autem detur appellatio ad delegantem, ut dicitur cit. cap. 27. §. porro. Nam ibi solum dicitur à subdelegato non in totum, appellari ad subdelegantem; non autem ad primum delegantem: secus, si in totum; ex quo sequitur solum differentia inter jurisdictionem subdelegatam in totum, & non in totum, sive dantem totum, & dantem solum partem, ubi nihil est de mandato, distincto à tali commissione.

2340. Not. 2. à quibusdam etiam poni quandam distinctionem Judicis delegati à Juce dato, per hunc intelligendo illum, qui propriam notionem, hoc est nudam cognoscendi, ac judicandi potestatem habet, sine ulla coercitione, & executione; per illum autem, qui (saltem de jure Canonico) communiter simul habeat coercitionem aliquam, ut expressè habetur c. præterea 5. h. t. ubi dicitur: *per simplicem commissionem cause, posse delegatum citare, contumacem punire, & reliqua facere, quæ spectant ad causam;* licet autem delegatus jure Canonico communiter habeat, præter causæ cognitionem, etiam potestatem faciendi aliquam coercitionem partium contumacium, ut dictum est præcedenti numero; potest tamen etiam, eodem jure, alicui, subdelegare solam causæ cognitionem, delegante sibi reservante sententiam, ut dicitur c. cum te, 18. h. t. & colligitur ex cit. c. 27. §. verum, ubi agitur de subdelegato cum, & sine jurisdictione.

ARTICULUS III.

Quibus competat potestas delegandi, vel subdelegandi?

2341. Resp. quod omnibus, ad quos ordinario jure spectat causæ definitio; ita Zoësius h. t. nu. 3. ex c. cum vicesimum, 4. 1. h. t. & L. 1. C. qui pro sua jurisdictione. Talis est Summus Pontifex; quivis etiam Princeps in sua ditione, L. 5. C. de Judice; quilibet Ordinarius, c. cum Episcopus 7. de offic. Jud. ord. in 6. talem etiam licentiam habent Legati Pontificij c. 2. de judic. & delegati à Principe, c. 3. h. t. c. 62. de appellat: L. à Judice, c. de Jdic: Hæc autem potestas subdelegandi non est potestas delegata, sed ordinaria; nam potestas, quæ datur à jure, vel à lege, est ordinaria, L. & quia, 6. ff. de Jurisdictione: & delegatum Principis subdelegatum posse compellere ad acceptandam subdelegationem, c. Pastoralis, 28. h. t. non autem, Judicem ordinarium inferiorem, nisi hominem suæ jurisdictioni subditum, glossi in cit. c. Pastoralis V. renitentem. Quando autem Princeps alicui specialiter delegat causam, censetur tollere omnem jurisdictionem Ordinarijs inferioribus; Barbosa in c. 28. de

de offic. deleg. nu. 9. sed ly tollere mitius accipiendum est, pro suspendere; & quidem ad solum actum alteri specialiter commissum; dupliciter autem potest causa delegari, seu committi, requirendo industriam, seu fidem personæ delegatæ; in favorem partium (& hoc casu delegatus Principis, de consensu partium, eam causam potest alteri committere; quia possunt partes cedere favori sibi concessio, c. fin. q. is autem, h. t.) secundò propter utilitatem publicam; & tunc delegatus tenetur personaliter exequi; sic Pirhing h. t. nu. 10. q. quòd si verò: censetur autem requiri industria personæ, seu, quòd delegatus debeat ipse per se ipsum, & personaliter causam exequi, si rescriptum habeat clausulam: per te ipsam, vel, personaliter, vel confidimus de industria, & discretione, vel, prudentia tua &c.

2342.

Not. præterea delegatum, regulariter non posse subdelegare, ex c. cum causam, 42. de Appellat. ibi: cum non nisi delegatus à Principe alij valeat delegare; & L. 1. q. 1. & L. 3. ff. de offic. & potestate ejus, cui mandata est jurisdictio; dixi regulariter; excipitur enim primo delegatus Papæ, vel Principis, nisi delegatio requiratur industriam personæ ob utilitatem publicam; excipitur 2. ab aliquibus, subdelegatus à delegato Papæ, ut vult Abbas in c. cum Bertholdus de sent. & re judicata nu. 22. sed in hoc contrarium probabilius censet Zoësius hic n. 6. quia nullus delegatus, etiam Principis, potest subdelegare cum facultate subdelegandi; sic Barb. cit. nu. 8. Sanchez c. 3. matrim. D. 31. nu. 5. & 9. excipitur 3. delegatus constitutus cum potestate subdelegandi; sic Zoësius cit. num. 7. excipitur 4. delegatus ab inferiore ad causarum universitatem; quia talis habet idem Tribunal cum delegante; sic Zoësius cit. num. 8. sed hoc intellige, quando talis delegatus, ratione delegationis sibi factæ, censetur veluti officium ordinarium habere; non autem, quando tales sunt ex jure merè commissio, qualiter id habent confessarij Regulares, qui delegati sunt à Papa, jure solum commissio, in, & pro foro penitentia; sic Layman lib. 5. sum. tr. 6. c. 10. n. 14. quia ipsi non sunt ordinarij Pastores animarum; nec ex officio earum curam habent; sicut nec Cooperatores Parochorum.

ARTICULUS IV.

Qui possint esse Delegati?

Resp. ut quis possit esse iudex delegatus, requiri ex natura rei, ipsum esse idoneum ad id, pro quo delegatur; deinde non suspectum, c. cum super, 27. h. t. q. Verum, ibi: nisi mandati fines excedat, vel meritò sit suspectus; tertio non excommunicatum; cum talis non sit capax jurisdictionis; 4. non minorem 18. annis; licet ex partium consensu esse possit, si sit minor 18. c. h. tit. quo tamen consensu non indiget Papa, vel Princeps, l. quidam, 57. ff. de re judic. secus est de Delegato Papæ, vel Principis, ex c. cit. 41. ubi dicitur delegationem minori factam ab alio, quam à Principe, non tenere; Zoësius hic nu. 10. Ex quo colligitur, delegationem à Papa, vel Principe, minori annis 18. valere; non autem tali factam ab alio.

2343.

Si quæras, qui possint esse delegati Pontificij? R. nullum (secluso privilegio, vel jure speciali) nisi positum in dignitate, aut Ecclesiæ Cathedralis Canonicum, posse esse delegatum Apostolicæ Sedis, c. 11. de rescript. in 6. ubi Bonifacius VIII. sanctimus, inquit, ut nullis, nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, causæ, autoritate literarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejusdem, de cetero committantur: nec audiantur alibi, quam in civitatibus, vel locis insignibus, ubi possit comodè copia peritorum haberi; quod verum est, licet sit Canonicus Regularis; ita Sanchez lib. 6. mor. c. 13. nu. 83. Delegatum autem Episcopi, vel alterius Papæ inferioris, posse esse etiam simplicem Clericum, modò aliunde sit idoneus; gloss. in c. statutum, h. t. V. Sedis Apostolicæ. V. quæ diximus supra nu. 1559. ubi plures de hac materia quæstiones à nobis resolutæ sunt.

2344.

ARTICULUS V.

Quæ causæ possint delegari?

Resp. quòd possit quælibet, quæ est subiecta jurisdictioni delegantis; L. unic. c. qui pro sua jurisdictione; excipiunt aliqui

2345.

qui causas *meri Imperij*, ut est jus gladij, sive potestas puniendi facinorosos poenâ mortis, vel mutilationis, aut perpetui carceris. Circa hanc exceptionem not. 1. communem esse Doctorum sententiam apud Julium Clarum *in pract. crimin: lib. 5. §. 2. fin. q. 1. n. 1.* eas causas *de jure Civili*, à Judicibus ordinarijs, Principe inferioribus, non posse delegari, nisi in casu absentia, negotij publici causa, idque *ex c. 1. ff. de officio ejus, cui mandata est jurisdictio*: posse tamen eas, quæ sunt de jure magistratûs, ut dicitur *cit. L. 1. in princip.*

2346. Advertendum autem, quod attinet ad Regiminis multiplicatam, Imperium, acceptum velut in genere, esse duplex; alterum *merum*, alterum *mixtum*; merum Imperium, dicitur quædam summa potestas, per quam ea, quæ sunt jurisdictionis maximæ, explicantur: illius enim est facinorosos, poenis etiam capitalibus, afficere; vocatur *merum*, quia separatam à cognitione pecuniaria, quasi nullum inde sequatur commodum pecuniarium; *insitut. de publicis Judic. in princ.* aliter explicatur in *gl. ad c. Sedem de offic. ordin.* ubi: *merum Imperium est, inquit, quædam summa potestas, & alta ex publico inducta, quod apud Principes est, præcipue Papam, & Imperatorem.* Effectus illius v. g. *in spiritualibus*, sunt depositio, translatio Sedium Episcopalis, & divisio unius Sedis Cathedralis in duas: *in secularibus*, poena capitis. *Mixtum Imperium, est potestas media*, per quam ea, quæ sunt in jurisdictione media explicantur: dicitur *mixtum*, quasi ex jurisdictione, & mero Imperio: est penes Judices, quorum officium mercenarium est; & si ad bonum publicum tendat. Illius effectus *in spiritualibus*, sunt dedicare Ecclesias, Altaria consecrare, Virgines velare; *in secularibus* verò, mittere in possessionem, pupillis Tutores dare, infligere poenas graves, nempe mutilationem, relegationem, suffigationem, & reliquas, excepta capitali; sic Pereyra *in Elucidar: à n. 295.*

2347. Not. 2. quosdam velle, *merum Imperium* etiam delegari posse in casu infirmitatis, multitudinis causarum, vel alterius similis impedimenti; sic Pirhing, *h. t. n. 5. r.* *mixtum* autem (ut est potestas legitimandi illegitimos) posse delegari, quan-

Tom. I.

tum est *de jure Civili*, tenet Fachinatus *lib. 9. controv: juris, cap. 98.* sed contrarium probabilius judicat Zoësius *h. tit.* quando certa lege, aut constitutione concessum est *persona*; quia talia personam non egrediuntur; secus est, quæ generaliter competunt jure magistratûs: *de jure autem Canonico*, ab Ordinarijs delegari possunt causæ ipsorum jurisdictioni subjectæ, licet sint Imperij mixti, vel meri, per glossi in *c. quod Sedem, de officio ordinari: v. committere*, cum communi Doctorum: sed hoc intellige de *speciali*, non *generalis* delegatione, ut notat Pirhing, *h. t. nu. 52.* & habetur in *c. licet, 2. de offic. Vicari: in 6. ibi: licet in Officiale Episcopi, per commissionem officij, generaliter sibi factam, causarum cognitio transferatur: potestatem tamen inquirendi, corrigendi, aut puniendi aliquorum excessus; leu, aliquos à suis beneficijs, officijs, vel administrationibus amovendi, transferri nolumus in eundem: nisi sibi specialiter hæc committantur.*

Not. 3. ad merum Imperium jure Canonico etiam pertinere Clericorum degradationem, depositionem, suspensionem &c. Pirhing, *cit. §. porro.* Hinc contra Zoësius *de offic. Judic. delegat. num. 18.* negandum, Judicem Ecclesiasticum non habere merum Imperium; licet enim non habeat jus gladij, seu *mortis corporalis*; habet tamen *gladium spirituale*, *excommunicandi, addicendi perpetuis carceribus &c.* sic glossi in *c. quod Sedem, de officio Ordinar.* Cæterum adverte, in generali concessione totius jurisdictionis, non censeferi ea comprehensa, quæ sunt primi gradus, seu præcipua talis jurisdictionis, nisi exprimentur specialiter; sic Molina *rr. 5. de justitia D. 6. nu. 3. juxta regul. juris in in 6.* nec ea, quæ indigent speciali expressione.

2348.

ARTICULUS VI.

An delegatio fieri possit pluribus?

Resp. 1. posse, etiam unum tantum, qui solus cognoscat, *c. 3. h. t. ibi: si pro debilitate, vel pro qualibet alia causa, vel necessitate causis tractandis, quæ tibi à Sede Apostolica committuntur, interesse non poteris, liberum tibi sit personis discretis, & idoneis vices tuas committere; ita ta-*

2349.

Xxx

men,

men, quòd, si res tanti est, debeant te consulere: nisi fortè causæ ita graves sint, quòd sine præsentia tua non possint commodè terminari; sic Alexander III. ad Episcopum Londonensem. Resp. 2. posse etiam pluribus, qui vel omnes simul causam cognoscant, & judicent (quo casu sententia unius non tenet, *ex c. 16. h. t. & Barb: ibidem nu. 1.* aliud est, si fieret singulis in solidum) vel, ut si omnes interesse non possint, alijs procedere liceat (& in hoc casu, priusquam appareat de impotentia tertij, si reliqui procedunt, nihil agunt, c. *prudentiam 2 1. h. tit.*) Hinc se excusans, excusationem debet exponere, Barb: *ibid. nu. 5.*) vel etiam, ut omnes cognoscant; aut aliqui ex illis; aut etiam unus tantum; & hoc casu ex natura particulæ disjunctivæ, quilibet rectè cognoscit; Zoësius hinc *nu. 19.* Primum ex c. 16. probatur claro illius textu, ubi casus propositus sic habet: causam divortij, inter duos conjuges, Pontifex duobus Episcopis commiserat: ii judicaverunt, mulierem viro restituendam esse; quod cum factum esset, vir mulierem adedò flagellavit, ut in confessionem eruperit, inter ipsos consanguinitatis impedimentum intercedere: hoc intellecto, alter eorum Episcoporum judicavit, illos sepeandos esse: ad hunc casum respondit Alexander III. mandamus, quatenus, si inveneritis, quòd præfatus vir dictam mulierem ad iudicium solummodo alterius prædictorum à se separasset: (quia, cum causa duobus committitur, sententia unius non tenet) ipsum, ut eandem mulierem, sicut uxorem suam benignè recipiat, maritali affectione pertractet, monitione præmissa, cogatis. Si qui tamen apparuerint, qui (postquam ab eo recepta fuerit) matrimonium ipsorum velint, & legitime possint impetere: causam audiat, & sine Canonico terminetis.

2350. Probatur etiam altera pars ex cap. 21. nam, cum à Cælestino III. inter alia quaesitum esset, si causa tribus Judicibus commissa sit, ita, ut si omnes interesse nequeant, duo exequantur, utrum Reus comparere teneatur, quando à duobus tantum citatus fuit? præterea; si à tribus Judicibus citatus comparuerit, utrum duo in causa procedere possint, si tertius nec veniat, nec per literas, (ut fieri solet) se excuset? Respondit Papa; nisi duobus iudicibus, seu

ex certo nuntio, vel ex Excusatore cum literis destinato, aliunde constiterit, quòd tertius adesse non possit (vel nolit) duo illi procedere hand possint: & si procedant, acta irrita erunt. Nam, ex antiqua consuetudine, Pontifex mavult causam committere duobus, quàm uni; tribus, quàm duobus: quia integrum magis iudicium æstimatur, quod plurium sententijs confirmatur. Quare, si aliter, quàm ipsi mandatum, Judices procedant, præter formam mandati iudicare censendi sunt; atque per hoc etiam satisfactum videtur primæ dubitationi, ut hinc gloss. magna in fine annotavit, nisi in citatione expriment impedimentum, aut excusationem tertij: tum fidem habere debet citatus, atque comparere; uti Abbas hinc docet n. 17.

ARTICULUS VII.

Quodnam sit officium, & potestas Delegati?

2351. Officium ejus est, diligenter observare præscriptam in rescripto delegationis formam, nec mandati fines egredi; nam actus foret nullus, Zoësius *h. t. num. 2 1. ex c. cum dilecta, 2 2. de rescriptis*, ibi: cum enim in literis nostris eisdem principaliter mandaretur, ut ad prædictam Ecclesiam personaliter accedentes, personæ idoneæ administrationem committerent Abbatix, cui ad opus ejus fieret hinc inde resignatio subtractorum: ipsi formam mandati Apostolici transponentes, illo capitulo præmissa, de alijs articulis inordinate plurimum cognoverant: propter quod processum ipsorum, contra nostri formam rescripti, ac juris ordinem attentatum, irritum decernimus, & inanem; ideòque mandamus, quatenus G. & quibusdam alijs fororibus, Ecclesiæ (sicut justum fuerit) restitutus, & forma mandati nostri, exacta diligentia, observata, in negotio ipso ratione prævia, procedatis; sic Innocentius III. ad Archiepiscopum Magdeburg: unde jurisdictionem sibi commissam non debet delegatus prorogare de persona in personam, non expressam in rescripto c. 4. *h. tit.* ubi censuras, à delegato latas in personam, rescripto non expressam, irrita declaravit Pontifex, rescribens delegato; quia in dictum L. nullam ju-
risdi-

jurisdictionem habebas, jurisdictionis prorogatio nulla noscitur extitisse; cum hujusmodi delegata jurisdictione ad alias personas nequeat prorogari; quamvis de partium consensu prorogatio de tempore in tempus procedat, si non sit expresse prohibita, vel tempus præfixum non sit ob utilitatem publicam, sed partium favorem, c. 4. h. t. ubi Pontifex Episcopo Londonensi, de causis, inquit, quæ intra certum terminum decidenda committuntur, hoc tuam volumus cognitionem tenere: quod, nisi dies præfixus, de communi consensu partium, prorogetur, eo transacto, mandatum expirat; quo casu glossa *fin. in c. 40. h. t.* prorogationem admitti vult etiam de re ad rem.

2352. Et si in rescripto nihil sit specialiter mandatum, delegatus sequi debet jus commune, cui in dubio non censetur delegans derogare voluisse, c. *ex parte*, 13. h. t. ubi Pontifex Eboracensi Archiepiscopo, in hoc dubitanti, rescribit: quod, si quando Judici delegato expediat formam sibi statutam servare, debet tamen rationabiles exceptiones admittere: & in causa, juxta juris equitatem procedere, nisi exprimat in literis nostris, quod nulla debeant exceptiones admitti; his præmissis:

2353. Quæres 1. unde potestas delegati mensuram capiat? Resp. quod ex autoritate delegantis. Hinc delegatus Papæ, major est delegatis inferiorum, c. *statutum*, 11. de *rescript. in 6.* & in causa delegationis, etiam Ordinariò est major, qui jussus delegati sententiam exequi, cogitur etiam illam, quam videt injustam; c. *Pastoralis* 28. §. *quia verò*, h. t. ibi: quia verò sæpe contingit, quod executio sententiæ Ordinariò demandatur; quæsiisti, an si ipsam injustam esse cognoverit, debeat eam executioni mandare? an sit ei potius subsistendum? attendentes itaque, quod non cognitio, sed executio tantum demandatur eidem: respondemus, quod cum Ordinarius teneatur obsequi delegato; ac etsi sciat sententiam illam esse injustam, nihilominus exequi tenetur eandem, nisi apud eum efficere possit, ut ab hoc onere ipsum absolvat.

2354. Circa hunc textum, nota, alium esse executorem merum; alium mistum, ut notat Glossa hic, V. & si sciat. Merus executor dicitur, cui nulla cognitio, sed sola

Tom. I.

executio causæ plenè cognitæ, & decisæ, committitur, quin ipse ullas exceptiones admittere possit; uti colligitur ex *L. sicut proponis*, 6. C. de *Executione rei judicatae*; & docet Glossa communiter recepta in c. *de Cetero* 15. de *re judic.* si tamen manifestò constet, errorem commissum esse, aut fraudem intervenisse, non debet exequi, sed ad Superiorem, seu Judicem referre, juxta c. 2. de *crimine falsi*, de quo videri potest Suarez de *Censuris*, D. 3. *sect. 15. n. 6.* Executor mistus dicitur, cui non mera executio, sed etiam cognitio de facienda executione committitur. De hoc sermo est in *L. 4. C. si contra jus*, ibi: & si non cognitio (causæ principalis) sed executio mandatur, de veritate precum inquire oportet, ut si fraus intervenerit &c. Talis est executor, qui à Papa, per rescriptum, deputatus est ad conferendum alicui beneficium, uti colligitur ex *Clem. un. h. t. jun. gloss. V. executores*; quæ inde colligit, quod isti deputati ad exemptionem habeant Jurisdictionem delegatam, quod possint exceptiones admittere, & de iis cognoscere, quæ sunt ad impediendam, aut minuendam executionem (ut, si deputatus sit ad executionem imperatæ solutionis, & Reus conventus compensationis factæ exceptionem objiciat) de ea cognoscere poterit: at verò de executionibus, quæ sunt de justitia causæ, cognoscere ipse non potest, nisi in eum finem, ut intelligat, an ob eam causam ad Superiorem remittere debeat; juxta c. *de Cetero* 5. de *re judic.* quibus positus:

2355. Quæri potest, qualiter intelligenda veniant verba, quod Ordinarius teneatur obsequi delegato, qui ei executionem sententiæ commisit, etsi ipse (nimirum executor) sciat sententiam illam esse injustam? R. si manifestò constat, errorem commissum esse, aut fraudem intervenisse, non debere exequi, sed ad Superiorem, seu Judicem referre, juxta c. 2. de *Crimine falsi*, & videri potest Suarez de *Censuris Disp. 3. sect. 15. n. 6.* quia talis executio, tam manifestam continens injustitiam; non cadit sub mandatum justii Judicis; neque dictum textum loqui, vel intelligi debere de hoc casu.

Quæri potest 2. quid agendum, si delegatus etiam, postquam Judex informatus est de statu rei, nihilominus urgeat,

XXX 2

ac

ac imperet executionem? Videtur quòd tunc debeat obedire; nam postquam Pontifex in cit. §. *quia verò*, expressè dixit: executorem *debere obsequi*, et si sciat, sententiam esse injustam, *nisi apud eum* (qui executionem mandat) *efficere possit, ut ab hoc onere ipsum absolvat*: sed in dato casu, id efficere non potest; ergo. Dicendum nihilominus, *non licere* tunc exequi sententiam *criminalem mortis, vel mutilationis contra hominem innocentem*; sic Layman l. 3. *summa, tr. 6. c. 2. à n. 8.* quia innocentem, *cognitum, ut talem, occidere*, jure naturæ prohibitum est: si autem sit in causa civili, & sententia injusta, simul sit invalida (ut, quia est contra jura manifesta, vel nullo Juris ordine observato) executioni mandari non debet, quia tunc non agit *ut Judex, Arg. c. forus 10. de Verb. signif. & ex communi docet Imola hic n. 28. Abbas n. 4. Suarez loco citat.*

2356. Sed quid, si sententia ea injusta sit simul valida? Respondet Suarez *cit. Sect. 15. n. 71.* Executorem licet tunc exequi, si errorem facile ostendere non possit, & sententia sit injusta solum materialiter, lata tamen secundum allegata, & probata; videtur tamen intelligendum pro casu, quo jure solum humano jus illi constitutum est adversus eum actum, quo per executionem sententiæ etiam materialiter læditur jus ejus; vel cum alter illi cedere potest citra culpam conscientiæ: ut, si contra talem sententiam injustam, cum posset, non appellet.

2357. Quæres 2. quæ pertineant ad Judicis delegati potestatem? R. quòd citare partes, cogere contumaces ad comparendum, & ea omnia facere, quæ necessaria sunt, ut Jurisdictionem mandatam exequi possit, *c. 4. & 5. h. t. ibi: auctoritate presentium innotescat*, quòd, postquam alicui causa, licet simpliciter, delegatur, factis potest, *nostrâ auctoritate*, partes compellere, & etiam contumaces, severitate Ecclesiasticâ coercere, *etiamsi litera commissionis id non contineant*, aut partes, mandatum nostrum non habeant, ut accedant; quia *ex eo, quòd causa sibi committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem.* Hinc potest, quemcunque *in hoc* impediens, punire, & coercere,

etiam Superiorem, tamen cum temperamento, & discretionem dignitatis personæ. *c. 2. eod. in 6. ibi: quia Pontificali dignitate præditis, ob reverentiam sacri Officij*, quod exercent, plurimum deferri convenit, & eos plus alijs honorari decet: ut cum à Judicibus, vel Conservatoribus, à Sede Apostolica deputatis, *contra eos* ad coactiones aliquas, sive pœnas fuerit procedendum, *gradus, & modestia in hujusmodi processu servetur.* Et ideo Alexander IV. *cit. c. 2. §. ita quod*, præscribit hunc modum, ut (eis, condignâ reverentiâ supportatis) ingressus primò ipis Ecclesiæ, vel Sacerdotale *interdicatur* Ministerium: ac deinde ab Officio *suspendedantur*; & subsequenter, *aggravetur* censura Ecclesiasticâ contra eos, nisi fortè aliter fieri suaserit nimia contumaciæ protervitas, sive culpa.

Quæres 3. an Judex delegatus absolvere possit ab excommunicatione? de hoc casu est textus in *c. prudentiam 21. §. sexta, h. t.* ubi dicitur, quòd, si Reus, coram delegato objicit excommunicationem Actoris, quam non probat intra tempus debitum, audiatur Actor: si verò de excommunicatione constiterit, *delegatus absolvet Actorem*, nisi ob aliam causam, quæ in Judicium non devenit, excommunicatus fuerit: *tunc ad excommunicatorem remittendus erit*, qui, *si malitiosè nolit, delegatus Papa eum absolvet*, in commodum partis; non autem ejus proprium; ita Cælestinus III. *cit. c. 3. Dixi: intra tempus debitum*, nimirum, intra dies octo post exceptionem oppositam, *ex c. 1. de Except. in 6.* Sed nota, posse hîc sermonem esse de excommunicatione ab Actore incurta, vel *ante*, vel *post* Apostolicum rescriptum; si objicitur excommunicatio incurta post rescriptum; tum à Judicibus delegatis absolvi debet: quia Pontifex, ipis causam delegando, etiam alia commisisse censetur, quæ accessoria, & ad causæ expeditionem necessaria sunt: sed excipitur primò: nisi Actor ob aliam causam, quæ in Judicium non devenit, excommunicatus fuerit, tum ad auctorem excommunicationis, Judicem ordinarium, vel delegatum pro absolutione mittendus erit: qui si absolvere per malitiam recuset, tum delegati judices, secundum formam Ecclesiæ, absolutionem conferant; secundò: nisi

nisi excommunicatio Sedi Apostolica specialiter reservata sit.

ARTICULUS VIII.

Quomodo Jurisdictio delegati finiatur, vel suspendatur?

2359. **R**Esp. Jurisdictionem delegati finiri in totum, i. morte delegantis, re integra, c. licet 30. h. t. ibi: quia mandatum hujusmodi, re integra, morte mandatoris expressit: non habet solus officium judicandi: si vero, ante mortem illius, Jurisdictione uti ceperit, taliter demandata, vices suas, & alius poterit adimplere: Secundò, per sententiam, quæ facit delegatum, in ea causa definire, esse Judicem cognitionis causæ, c. in literis. 9. h. t. ibi: ex quo Judex delegatus per se, vel alium, sententiam executioni mandavit, vel mandari precepit, ejus auctoritas, & Jurisdictio cessat: quia semel est officio suo functus: Tertio, morte delegati, re adhuc integra c. quoniam 14. h. t. Arg. §. 10. Instit. & L. 58. ff. mandati: sed hoc intellige, si delegatio facta sit persone; non autem, si dignitati; nam hæc non moritur, c. quoniam cit. v. infra n. 2363. Similiter finitur morte delegati, si facta sit personæ, & dignitati simul, vel econtra; ita Zoësius h. t. n. 34. quia sic delegatio requirit duo; nisi commissio redderetur inutilis. Nam in dubio interpretatio sumenda est, ut actus valeat, L. quoties ff. de rebus dub. Hoc tamen videtur limitandum, ut non procedat indefinitè, nisi constet directè intentam esse illam copulativam, seu completum ex utroque. Not. ulterius Jurisdictionem commissam non extingui amissâ dignitate, si facta sit persone; quia sic non tollitur ejus subjectum: Quarto, Jurisdictione finitur ejus morte, qui conveniendus erat; nam eo casu deficit ratio subjecti, in quo Jurisdictio exercenda foret; Quintò, lapsu temporis præfixi; c. 4. h. t. Sextò, relatione causæ ad delegantem, c. 3. de Offic. Legati: Septimò, revocatione delegantis, re adhuc integra; nam re non integra, revocari non potest, c. super 6. §. verum, h. t. & c. 6. cod. in 6. intellige autem, si revocatio sit expressa, sive tacita.

2360. Suspenditur autem primò, quando de delegatione alicui facta dubitatur; hinc,

donec de illa certò pateat, est sine effectu; c. cum in jure 31. h. t. ibi: nisi de mandato Sedis Apostolica certus extiteris, exequi non cogaris, quod mandatur.

Secundò, quando Judex delegatus, ut 2361. suspectus, recusatur, donec de causa suspecti cognitio sit habita coram arbitris, quos delegatus cogere potest rem declarare, c. suspicionis 39. h. t. ubi Gregorius IX. suspicionis ait: causâ, contra judicem assignatâ, non ipse, (qui forsan provocatus obesset) sed arbitri potius (coram quibus probatio est facienda, & ad quos omnia, quæ ad hunc articulum faciunt, pertinere noscuntur) possunt ad hoc terminum assignare: ab ipso quoque Judice (cui sicut Jurisdictio, sic & cætera, sine quibus explicati non potest, intelliguntur esse commissa) iidem, ut convenient, si discordes fuerint, in unam sententiam, vel tertiam concorditer advocent, cum quo duo, vel alter eorum id faciat, sunt cogendi; ne hujusmodi occasione principale negotium plus debito prologetur.

Tertio cum à sententia delegati appellatur, executio interim suspenditur; c. 28. §. præterea h. t. ibi: præterea postulasti, si, cum à sententia, lata auctoritate litterarum nostrarum, in quibus appellatio est inhibita, fuerit appellatum, & literæ, post appellationem ad judices alios emanaverint, an ad mandatum posteriorum Judicum executio sententiæ, à prioribus delegata, debeat retardari, ut priores Judices ipsam, neque per se, neque per alios exequantur? Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, subjungit Pontifex: quòd, cum appellationibus causam, ex certa scientia Judicibus alijs committimus cognoscendam, appellationem videmur recipere, ac jurisdictionem priorum Judicum revocare, ut interim executio sententiæ suspendatur, donec appellationis merita plenius sint discussa &c.

2363. Circa datam responsi: not. 1. rem adhuc integram, communiter censeri, quando necdum est inchoata jurisdictione, eâ utendo, vel cepta, vel cepto negotio non tantum litis contestatione, verum etiam sola citatione legitima; quare res non amplius est integra, parte legitime citata, vel lite contestata; non autem, subdelegatione, vel sola præsentatione rescripti; sic Zoësius cit. n. 29. v. que diximus supra à n. 1590.

X x x 3

Not.

Not. 2. sicut diximus delegati Jurisdictionem finiri morte naturali delegantis (si delegavit nomine suo; non, dignitatis; quia dignitas non moritur, aut interit, c. 5. de Rescript. in 6.) sic pariter dicendum, si resignavit, vel aliter Jurisdictionem suam amisit; ita Sanchez l. 8. matr. D. 28. n. 32. cum Jurisdictio delegati habeatur dependenter à Jurisdictione existente in delegante.

2364. Not. 3. si delegatus naturaliter moriatur, finiri Jurisdictionem ejus, etiam re non integra; cum sic deficiat Jurisdictionis delegatæ subjectum, Arg. l. 27. §. 3. & L. 57. ff. mandati; quod intellige, si delegatio facta sit persone, juxta præced. num. secus, si dignitati, c. 14. h. t. ibi: quia sub expressis nominibus locorum, & non personarum, commissio emanavit, sibi socium in causæ cognitione adjunxit, nos sententiam illorum (sicut est iusta) ratam, & firmam habemus: si autem pluribus, (ut eorum judicio simultaneo causa tractetur, & eorum unus obeat) expirat in omnibus, etiam re non integra; secus, si singulis, quâ singulis.

Not. 4. Jurisdictionem delegati etiam finiri, si elapsus sit numerus dierum præfixus; vel tempus præscriptum expeditioni causæ, quæ incipit à die, quo præstatæ sunt literæ delegationis, de quo c. 4. & 24. h. t. intellige, nisi ad certum diem, vel mensem, causæ expeditio determinata sit: & in cit. c. 24. illud specialiter additur, quod si Jurisdictio delegati expiret in termino peremptorio, quem partibus assignavit, post congruam horam peremptorij Judex non expectabit contumacem; si expiret, possit expectare in diem alteram, & iterum citare, si vult.

2365. Not. 5. etiam finiri, si delegatus dolose, aut negligenter intra annum non utatur Jurisdictione commissa, quando Adversarius pro eo impetravit rescriptum, de quo c. 9. & 23. de Rescript. de quibus multa diximus supra à n. 1622. Advertendum præterea, quod Judex delegatus, Jurisdictionem sibi commissam ad exequendam sententiam retineat, usque ad annum à die sententiæ latæ, c. quarenti 26. h. t. vel si appellatum fuerit, & appellatio deferta, à die desertionis; sic Innocentius in c. quarenti v. ad annum, & Barbosa ibid. n. 1. Cæterum solus Papa, aut Prin-

ceps, potest committere causam, cum clausula: *appellatione remota*, ut vult Barbosa cit. n. 4.

ARTICULUS IX.

De reliquis ad hunc titulum pertinentibus.

2366. Quoniam minæ plerumque justum metum incutiunt, si efficaces judicentur, spectata personarum comminationum qualitate; & inde contingit, ut impetrantes à Sede Apostolica rescriptum justitiæ, minis impediuntur, ne Reos in jus vocare audeant; ideo Judices delegatos posse Jurisdictionem subdelegatam exercere, non tantum in partes contententes: sed etiam in eos, qui ejus Jurisdictionem, seu processum causæ, impedire, vel turbare volunt, ex c. quia quæsitum 1. h. t. Nam licet Jurisdictio delegata censeatur stricti juris, per c. cum olim 32. & c. 40. eod. atque adeo non debeat excedere fines mandati c. 22. de Rescript. nihil tamen contra hoc agitur, si delegatus eâ utatur, etiam in his, quæ necessaria sunt ad implendum mandatum? Nam, qui mandat principale, censetur etiam accessoria mandare, seu, qui executionem finis committit, etiam media, quæ necessaria sunt, committere censetur, c. præterea 5. h. t. ibi: *etiamsi literæ commissionis ad non contineant*; quibus præmissis:

2367. Quæstio est 1. an Judex ordinarius alteri possit causam delegare, reservato sibi hoc jure, ut consilium suum exquirendum sit adeo, ut eo non requisito, sententia à delegato lata, nulla sit? R. quod sic; ex c. si pro debilitate 3. h. t. ratio autem hujus postremi est, quia sic delegatus formam delegationis transgressus est.

Quæstio est 2. An, si dispositio, seu commissio generalis in certa specie verificari debeat, ei per specialem posteriorem derogetur? R. quod non; quia etiam prior secundum eventum specialis est; ut, si Papa Titio mandet conferri beneficium primò vacaturum in diœcesi; postea mandet, Cajo conferri primò vacaturum in civitate diœcesis: si accidat, primitus vacare beneficium in civitate, debetur Titio, non Cajo, nisi appareat, quod Pontifex voluerit derogare juri Titij, colligitur ex c.

ex parte 12. h. t. ibi: non obstantibus posterioribus literis, &c.

3368. Quæstio est 3. an, si Judici delegato à Papa certa procedendi, vel judicandi forma præscripta sit, ea non obstante exceptiones rationabiles admittere, & secundum juris æquitatem procedere debeat: nisi in literis exprimat, ut nullæ exceptiones admittantur; quod tamen Pontifex apponere non solet. R. quòd sic, c. ex parte 13. h. t. ibi: debet enim rationabiles exceptiones admittere; & in causa, juxta juris æquitatem, procedere, nisi exprimat in literis nostris, quòd nullæ debeant exceptiones admitti; quod nec Nos; nec Antecessores, credimus unquam expressisse. Ex quo sequitur, si casus, lege definitus non est, Judicibus permissum esse arbitrari, quòd ipsis æquum videtur; & ubi de contraria voluntate Principis non constat, Judicem inferiorem rationabiles exceptiones admittere debere.

3369. Quæstio est 4. an, si causa alicui commissa sit, expresso tamen tum proprio nomine, tum dignitatis (dicendo v. g. Rudolpho, Josepho Episcopo Secoviensi committimus) in dubio censenda sit personalis? Respondet Layman hic, quòd sic; ex c. quoniam, 14. h. t. ubi dicitur, jurisdictionem delegatam Episcopo, in illo casu transivisse in Successorem, quia sub expressis nominibus locorum, & non personarum commissio emanavit; limitat tamen, nisi ex alijs causis voluntas delegantis cognoscatur;

3370. Et videtur omninò limitandum; quia ex dicto c. quoniam, non videtur rectè deduci, delegationem esse personalem ex eo, quòd in rescripto delegationis, expresso nomine proprio Delegati, ac simul ejus dignitate, facultas illi jurisdictionalis, aut favor aliquis per ordinem ad eundem alijs concedendum, concedatur. Nec id persuadere videtur ratio, quam adducit P. Layman loc. cit. nu. 2. quòd in tali casu appositio nominis proprii utilitatis esset, nisi commissionem faceret personalem; nam hoc ipsum dici posset in dato casu de expressione dignitatis. Nec placet re-

sponsio Bartoli L. more, ff. de jurisdictione. & Ancharani c. si gratiosè de rescript. in 6. dicentium, in dato casu judicandum, delegationem esse personalem, si nomen proprium Delegati, nomini dignitatis præponatur, saltem, si persona sit ignota, ut vult Abbas in c. quoniam, nu. 8. Nam ordo verborum non est in consideratione, ut constat ex c. Venerabilis, 8. h. t. ibi: ipsam tamen (nempe transactionem confirmatam) renuistis observare, occasionem frivolam prætendentes, tum ex eo, quòd in literis verbum confirmationis (tenorem compositionis) præcesserit; ubi Pontifex declarat, ut notat Wagnereck in Exegetis ad dict. c. 8. ex eo, quòd verbum confirmationis præcedat tenorem transactionis, cum aliàs subsequi deberet (utpote confirmans transactionem præcedentem) nihil obstat, quò minus confirmatio procedat.

Cæterum, in casu, quo verè dubium est, an privilegium, vel delegatio alicui commissa, expresso ejus nomine, non tantum proprio, sed etiam dignitatis, sit personalis, vel realis, hoc est facta personæ ratione sui, vel ratione dignitatis? non attendi debent sola verba; sed intentio concedentis; quæ tum ex circumstantijs, tum ex causis motivis, tum etiam ex materia substrata communiter deprehendi potest. Hinc in casu, quo generalis alicujus Religiosi Ordinis facultatem aliquam petit à Summo Pontifice in ordine ad certos actus (v. g. ut subditi possint, exequi literas Apostolicas, vel sacræ Pœnitentiariæ (quod de jure comuni non possunt earentes qualitate dignitatis Ecclesiæ, vel Doctoratûs Academicæ) esto careant dignitate, vel laurea Doctoratûs Academicæ; quorum exercitium per frequenter occurrit, præstandum à sui Ordinis Religiosis, præsertim ex vi sui instituti, ut diximus lib. 4. q. ult.) & Pontifex in rescripto annuat, expresso nomine proprio talis Generalis simul cum dignitate Generalatûs talis Religionis, non personalis, sed realis censenda est, nimirum facta nominato intuitu suæ Religionis, ut diximus lib. 5. de privileg. contra Læzanam.

